11.

COMPOSICIONES LATINAS

EN VERSO

Y

CUESTIONES FILOLÓGICAS

DEL D.R D. CELESTINO GONZALEZ SANTOS,

CATEDRÁTICO

DE LATIN Y CASTELLANO,

HOY DEL INSTITUTO DE SEVILLA.



BURGOS,

ESTABLECIMIENTO TIPOGRÁFICO DE P. POLO.

Año 1866.



Á LA 2.ª ISABEL,

EN SU LLEGADA A MURCIA

EL AÑO 1862.

Conjuge si venis, atque tua cum prole petita,
  Est nostrûm vobis carmine pauca loqui.
Omnia pauperibus donas, Regina, libenter,
  Divitior nunquam, *Magna* vocere licet.
Hispanos arcte retines in amore tenaci:
  Præcellet quisquam? fortior aut quis erit?
Hujus tutamen patriæ, solamen egeni,
  Cum grata soboli terque quaterque veni:
Es pia, Vir quoque, non minus Infans plena decore,
  At pietas melius Principis ore subest:

Delicias quasi, vel nostram spem, læta juventus
    Hunc sequitur præceps vocibus eja! io!.
Miles ut audax arma gerit victricia nostro
    Ut populo referat jura potente manu:
Quem breviter regalis purpura rite perornet,
    Sarciat hic olim dempta latente dolo:
Cùm fuerit velox ad præmia, tardus ad iram,
    Tunc *sapiens justus* nomina laude feret.
Non solùm Tibi, sed Dilectis fausta precamur
    Pectore, cùm Patriæ re faciatis iter.
Corda Minervæ cultores Tibi denique reddunt
    Munere pro tanto, nec satis, alma Parens.

C. G. S.



EL VIAGE DE LAS PERSONAS REALES
POR DIVERSAS PROVINCIAS DE ESPAÑA
EN EL AÑO 1860.

Pace secuta post certamen jure peractum,
Funera quo lugenda tot et pretiosa fuere,
Sicca nec hosti plurima, neve silentia, diro,
Nostra super victrici hederâ repente suapte,
Dum reliquos et serta manent, et præmia magna,
His multo majora reposcunt tanta laborum.

Elisabeth succedens primæ in vota Secunda,
(¡Oh gestam rem quam bene, quam oh utilis esset!)
Et facere in proclivi sint quæcumque parata,
Præcipuas Regni terras est certa petendi,
Subventum dignis, ictus clausura recentes,
Hesperiis atque atque receptos, corde dolendos.
In gressu natis comitantibus, exit ab arce:
Inde vapore acti venientis, fulguris instar,
Spe citius, currûs perstringit sibilus aures.
En mater pia, Regnatrix en omnibus alma,
Lucentum occurrit, conclamat, turbine facto,
¡Evohe! eja! io! ah! verborum vice grata:
Advola, nec desit proles tua, rumpe morasque.
Vos omnes oculis obeundi nos habet ardor:
¡Oh quam te memorem! cedro cùm digna fueris.
Regia stirps; salve semel ac iterum: acta canantur.
Impigra cum cœtu permagno limina pulsat:
Per roseas calles velox pertendit ad æquor.
Nautarum jam fertur ad aures lene celeuma,
Summa per aurarum propemptica carmina quoque:

Et *vale* multiplici conscendit navis in altum,
Quæ vasto procincta mari citò danda sit auris,
Tamque volucris quæ cursu præverteret austros.
Obliquans flexus in ventum adjuta vapore,
Alne, via pernix, sunto tibi fata secunda.
Præclari viatores, terque quaterque valete.
Aufugiunt aspectu vela fugatia nostro.
Ex ratis auditur summo vox *terra* virilis:
Mox cujusque animos pervadunt gaudia mœstos;
Navigat in portu, faustè gens Regia tangit.

Non sero populus creber Palmæ obtegit oram,
Quin memoret bellorum animas tunc temporis ullus.
Obvenit incomptis pars vestibus, crineve passa
Præpes, ubi laxis ulnis pars crumata jactat.
Cuncti munificam præbentes corde salutem;
Illam prolixè accipiunt, ac mente tulerunt,
Parati semperque operam præstare fidelem.
Egregia Hospita cum dilectis templa requirit:
His fragranti aurata calent altaria thure:
Sæpe preces cameras in summas usque sonarunt:
Inde sonus plausu labentes æthera complent.
Suppetiis amplis sedes avet ire doloris:
Hospites insignes jam contegit aula parata:
Lauta videri tunc petala, bellaria possent,
Necnon stratra patentia cum splendore decoro.
Quaquè fugans omnes tristi de pectore curas,
Auribus implebat vacuum symphonia pronis.
Æthereas proscindens usque ad sidera zonas,
Omnia versicolor Vulcanus luce replevit.

¿Quid de filiolo, nunc Principe mente benigna,

Quemque parumper sollicitum vagire videmus?
Somnum ne latuit quem lumina fessa subire:
En teres arctè oculos claudens *lallare* suavi:
Nostrane spes, cùm sit robur præstantius annis?
¡Oh quàm dulcis, semiaperto dum cadit ore
Mixta frequenti cum sudore argentea lympha!
Dormi, carpe quietem, nec securior unquam:
Nunc hedera indomitæ victrix qui jure vocaris
Hesperiæ muri, post nostræ hederæ ulmus opima.
Alto jamque sopore soluto, perlevis astat
Fletus, cui lepidè risus contigit amatus.

Præcox ¡quamque facetè pulchra sororcula currit,
Nec minus ¡ah! nobis dulcis mellilla, secunda
Post fratrem, nardo perfusis flava capillis.
Lar placidè peragrans Regalis opaca locorum,
Obstupuit, vernantia cùm sint omnia rura,
Perpetui flores, æternaque gratia campi:
Hoc ita, ut teneris palmis Princeps, simul Infans,
Convexis ramis pendentia pondere mala,
Perlæti facilè potuerunt sumere quædam.
Illum sæpe lepore ferunt agitasse galerum,
Cum passim lætos agricolas cerneret omnes,
Donantes cumulatim poma modo arbore carpta.

Post visas Baleares, permultis ope lata,
Jam sinibus parata solutis, flamine dextro,
Regia spumanti classis cita gurgite fertur:
Tunc populus clamat *vale*! ter *vale*! agnine facto.
¡Oh utinam Neptuni devincantur acuta!
Succedant vobis etiam Deus omnia faxit:
Nec quidquam tristis, semperque Lubentia præsit:

Nereidum gratus chorus est comes usque sub oram.
Dum sol de freto superabat, terra videtur,
Qua sedet urbs nunc Barcino dicta, Faventia quondam,
Immerito non, aspirans accepta labore
Omnibus, hos inter Reges sunt: facta loquentur.
¿Sed cui tot rerum, tantas narrare licebit?
Nullibi confluxit populus diversior unquam.
Altera ab illa, quæ Colon escepit ibidem,
Has sedes cape, Elisabeth, non laude minori:
En populus pro te velut amens flamine ductus.
Continuo sonitus mites flexere per auras;
Tunc ita sulcatus comparuit ignibus æther,
Ut merito diceretur denuo Phæbus adesse,
Luce fugans penitus tenebras, quasi vertice summo.

Hæc sunt, admiranda quidem, nisi Regibus essent,
Quæ spectacula prudens sponte Faventia præbet:
Verborum satis hactenus, hac re finis habendus.

Tu, Regina, salutis fons, recti, pietatis,
Nam dignata fuisti cum Lare nos apud esse,
Est tibi nostrum grates persolvere dignas:
Hesperiæ navis vexatæ, Anchora, pridem,
Fortiter hanc retine, dum tangat, te duce, portum:
Voce precamur sic Deus hoc factum velit, atque
Ut tibi vel nobis liceat convivere pace.
Quod præceps sim musarum recludere fontes,
Nec tarda patiente Minerva, parcite Reges.

C. G. S.

EL PORVENIR DEL MUNDO

CON LAS VIAS FERREAS.

AL EXCMO. SR. CONDE DUQUE GENERAL ESPARTERO,

en la inauguracion del ferrocarril á Santander

EL AÑO 1856,

LA CAPITAL DE CASTILLA VALLADOLID.

Omne vapori cedat, si vapor omnia vincit.

POEMA.


En jam convexo nutantem pondere mundum:
En sæclum subitò pennatum surgit ab illo,
Quod simul ejiciens ignavos, utile quærit.
En lux, hora optataque longo tempore nobis,
Et festissima, qua ferri via facta videtur.
Ecce secundus, vir præclarus, Rege Minister:
En cui divini quidquam diceremus inesse:
Qui bene composuit bellum post mille coronas;
Hoc opus extemplo faciendum pervenit apte:

Ut fortis miles, pater adventat, quasi civis,
Non privata, sed re communi duce tantum.
Promissis mane, rumpe moras, Dux, nos apud esto:
Non paliuri, sed uber Cereris ager astat:
Canentes molli te expectant vellere silvæ,
Jugia te pecora, et sinuoso tramite rivi,
Florenti ripa tarde Pisoraca revolvens,
Perque fluens muros late cum murmure blando:
Te gratè volucres garrentes denique clamant.
Filius Hesperiæ dilectus limina pulsat,
Ecce venit, Castellani, deponite somnos:
Præ cunctis cedat nimius labor, este parati:
Conveniat populus facto agmine, fulminis instar:
Tum juvenes hilares, cum filiolis quoque matres,
Atque puellæ vestibus exemptis, ferè passa
Cæsarie: baculo nixi, tum luce carentes,
Astante omni militia, nec Purpura desit.
Salve, oh Dux, patriæ spes, natus ad omnia summa,
Promptus, et aptior es præ cunctis munus ad hocce;
Hunc tibi jam dudum perfectum carpe ligonem,
Ut gladium per cœlum resplendens age crispa,
Ac utraque manu fode, quæ tremat undique terram,

Et jam dimidium nobis fore tramitis acti:
Quod superest reliquo finem sit ponere nostrum.
Ut nitidus Titan erit omnibus hæc via ferri,
Qua volucres, ipsasque leves præstabimus auras.
Vix longum dabitur posthac, *imposibile* unquam:
Ultima terrarum nobis peragrare licebit,
Quas homines transducti, se cognoscere possent.
Sic fugiat nox, necnon intolerantia dira.
Una nec excipiat communis patria solum,
Quin etiam domus una tegat nos corde ligatos.
Lex eadem, sermo, Deus unus dogmate Christi
Sint cunctis templo rationis tempus in omne.
Horrida nec charis reparentur matribus arma.
Vulnera producenda, acuetur post neque ferrum,
Quin siccanda etiam fraterno tincta cruore:
Haud bellatores hederatis frontibus adsint;
Et liquidum veniat plumbum non mortis in usum.
In tenebris loricas et situs occupet enses.
Porta domus Jani Patris hinc jam limen amabit:
Ignavus tunc bos stimuletur, stridet aratrum:
Et ferro populata colentur rura nocente:
Et facilem fundet victum justissima Tellus.

Membrà quiescet stratus arator cespite molli:
Malleus hic illíc pronas ferretur ad aures,
Et vario strepitu mittentia prela liquores.
Tunc placidus populus longe discordibus armis
Securus, non more leonum, luce fruetur.
¡Oh utinam proavi præscissent talia gesta!
¡Proh Deus! ¿in nos propitium te cur ita præbes?
¿Curve negasti tunc nostro quod porrigis ævo?
At neque vexemus ¡ divina quanto minorem!
Præcipites mentem, grati sed corde colamus.
Urbe tua discessurus, fac per breve tempus
Ut simus blandis hærentes sæpe lacertis:
Quare Municipis meritò jus suscipe nostri:
Sit tibi *Poplicolæ* nomen, laus omne per ævum:
Suscipe postremo semel ac iterum leve signum
Te nos mente repostum, gratiam habere tibique:
Nostris in votis erit, adsint proxima cœlo,
Ut elix cum conjuge vivas Nestoris annos.

C. G. S.



VERSOS

para leerlos un alumno de latinidad en el acto de conferirle el premio ordinario en el Instituto de Palencia el año 1858.

Cùm venit in mentem sitiens ac proximus annus,
  Res nova, vel nostris cognita raro locis:
Cùm tristis clamor, gemitus quacumque sonabant,
  Corporis et macies omnibus angor erant,
Atra fames, et turpis egestas quando premebat,
  ¡Ulterius timeo ne lacrimæ ire vetent!
Aspiceres matrem viduam mœrore peractam,
  Currentes natos turbine more suo,
Cùm panem dare non potuisset sæpe rogatum,
  Aut aliud victûs, quo minuenda fames,
Tantillum clemens undæ pro pane reportat,
  Mixta simul lacrimis, turpis amara fuit.
Hinc tremulo nixus baculo poscens gravis ævo
  Quodlibet auxilii, nec miserator adest.
Fosoris rubigine tectum cerne ligonem:

Quid faceret dubius, jam fugit ipse dolens.
Hinc satagens cultor furit, et quibus est opus ardet,
Aspiciens sudum, impluviumque dium.
Cernere erat rivos, torpentia flumina necnon,
Jam siccatus ager, et sine fronde nemus.
Rure silebant omnino ¡mirabile visu!
Nunc hominum voces, sæpe canumque sonus.

Rebus in his undam gentis vomuere penates;
Præcipites accurrunt corde micanti templa petentes:
Thure calent aræ fulgentes suaviter auro:
Sæpe preces cameras in sacras inde sonabant:
Fornice vocis imago recedens fertur in aures:
Non longo patuit cœli pars tempore pulla:
Jam volucres clamore loquaces atque volatu
Ancipiti pluviam, tonitrus corusci, fulgura signant:
Sensibus et pronis submittitur humidus æther,
Nostraque perveniunt in Cœlum vota peracta:
¡Ut clemens sat aquarum placatus Deus offert!
¡Oh quam mi memorande Deus! licet haud satis unquam.
Rivorum strepitus subito succedere cœpit:
Apparent fontes nitidis et jugibus undis:

Mox rapidi spuma labuntur montibus amnes,
Qui torquebant saxa minantia strage repenti.
Et viduarum, pauperis et lamenta tacebant:
Quisque cupit voti compos deponere sensus:
Subsultant alii congestim gramine læto:
Plaudentes alii manibus bene carmina promunt:
Multiplices sonitus permistim quaque feruntur:
In tectis alacer cultor studet arva tentare;
In campis reboant armenta, gregesque petulci.
Vomeris est acies, agraria resque parata:
Cinctus avet terram proscindere pertica arator,
In madida terra validos regit ipse juvencos,
Quid fumi spirantes naribus, oreve spumam.
En sata non longo nascuntur, rura virescunt:
Alma Ceres spicis oscillans, verò lepore,
Tum validas, tum reddit easdem quam cito fœtas:
Hæ jam flaventes nituntur tradere fœtus.
En Cœlum denuo præstanter, messe peracta,
Sementi pluviam fundit non tempore lævo,
Cujus habendæ justa tenet spes firmiter omnes:
¿Quid nobis faciendum, si Deus hæc ita nollet?
Per terras laudes mox tempus in omne docere,

Ut volucris parvo de summa gutture quercu,
Umbrosum nemus haud verbis, natura creata.
Jura dabunt grati cordis me signa referre
Omnibus hisce magistris, et primoribus altis.
Quin liceat mihi musarum recludere fontes,
Officio fungens, vobis hæc carmina dico.

C. G. S.

